



1877  
D. D.  
DISPUTATIO POLITICA

De

26  
14  
1660  
12  
Arcanis Rerum-  
publicarum in  
genere,

Quam

Sub PRÆSIDIO

M. JOHANNIS PARPARDI,  
NEÖ TREPT. Pom.

*In Electorali ad Albim Academia  
Publica Eruditorum Disquisitioni  
sistit*

RESPONDENS

BARTHOLOMÆUS GADEBUSCH,  
Neö Treptov. Pomeranus.

*Ad diem XIX. May, A. O. R. M DC LX.*

IN AUDITORIO MINORI,  
Horis Antemeridianis.



WITTEBERGÆ,

Excudebat MICHAEL Wende.



1187

Arctis Rerum

publ. in

1700

JOHANNIS PARADISI

1700

ALPHABETICO

1700

1700

1700

1700

1700

1700








I. N. J.

S. I.



*Imperatoriam Majestatem*

*non solum vi armatam; sed & legibus decoratam esse oportet, ut utrumq; tam pacis quam belli tempus suis presidis firmissimisq; munimentis nitatur; utriq; conservando non minus occulta dominandi & consultandi ratio; quam manifesta dominatio & consultatio necessaria est. Nam ut Respublica non sit menstrua, nec annua; sed æterna, excogitarunt peritissimi Politicorum quosdam in dominando pacis belliq; tempore rationes, quas arcana Rerumpublicarum nominare consueverunt.*

S. 2. Hinc Athenienses durissimum illud excellentes Imperatores in ordinem cogendi medium invenerunt, quod ostracismum vocarunt, & Syracusani Petalismum strictissimo jure prosecuti sunt, non aliam ob causam certè, quam ut illa Reipublicæ forma, quæ erat, perennaret, ne ex statu Aristocratico-Democratico fieret purus Aristocraticus vel Monarchicus vel planè Tyrannicus; unde quoq; sub ea specie quasi affectaret aliam Reipublicæ formam ex solo justitiæ nomine Aristides exilio decennali multatus est, ut ex Cornelio Nepote in vita Aristid. videre est.

S. 3. Utilia itaq; & necessaria arcana Rerumpublicarum & respectu nostrum & respectu exterorum. Ut enim adversus externos securi simus, opus est muniamur illa vi, qua securi & tuti reddamur, eoq; modo quem exteri facile penetrare nequeunt; sic v. g. duobus Principibus exteris finitimis dissidentibus quæri possit, quid tertio sit faciendum? in quam

A

partem



partem sese tertius verteret, utrobique periclitaretur; si ad arma descenderetur, is qui armis superior, armorum sumptorum rationem à Tertio posceret; si quietus se domi contineret, seque suosque per quietem in discrimen traheret; si ad *dux* *Q. S. P.* amplecteretur, terræ suæ varia discrimina induceret. Tunc enim idem accidere solet, quod in medio habitantibus evenit; scilicet ut utrinque premantur, ut *Mithridatis* sententia est in *Epist. ad Arsacem*, quæ in *Salustij* *histor.* allegante *Cl. Matthia Bernegger. q. 155. ex Taciti Germ. & Agricol.* legitur. Id quoque *Alphonsum Regem de Sinensibus* Italico quodam in bello, neutram partem secutis, deinde ab utraque parte hostiliter habitis, ac populationem agrorum suorum passis pronunciasse *Panormi* libr. 4. refert.

§. 4. Hinc legem tulisse sapientis *Solon* non contemnendam fertur, ut, qui in discordia civili alterutri parti se non adjunxerit, sed solitarius separatusque à communi civitatis malo secesserit, domo, patria, fortunisque omnibus careret, exul extorrisque esset. *Plutarchus* in *Solone* *A. Gellius* lib. 2. *Noct. Att.* cap. 12. *Epist. libr. 5. Polit. c. 6. Petrus Gregorius Tholosanus* lib. 22. de *Rep.* cap. 4.

§. 5. His aliisque malis impendentibus conducunt arcana, ut beneficio eorum ingruentia mala Re prohibere vel saltem fomitem istorum consilio reprimere possimus; quale v. g. hoc arcanum in presenti statu esset: Principem scilicet alere oportere exercitum clancularium quasi l. contra quemvis paratum, ut in quibusdam districtibus defensionarii; l. contra unum tantum, ut *Hussari Hungarorum*, *Polonorum Cosacci* circa oras *Borysthenis* *Turcarum* irruptionibus oppositi in *Moscovia* à *Knessi* defensionarii *Tartaros & Cosaccos* irrupturos arcetes.

§. 6. Optimum est *Plutarchi* simile in libr. de cap. util. ex *histor.* à scena depromptum: Equidem histriones, inquit & Cantores scenicos videmus sæpe numero in theatris pro se remissè ac nulla cum alacritate & solertia agere; orta autem contentatione adversus alios non se ipsos modo, sed & instrumenta sua majori cum diligentia ad certamen aptare, fides explorare, accuratius concentum instruere & tibiis canere videmus.



mus; ita & qui adversarium vitæ existimationisq; suæ sibi paratum esse novit inimicum, attentius seipsum observabit, resq; suas circumspiciet, Inde quoque simili modo in scena Reipublicæ (est enim Respublica instar Scenæ *Clariss. Politicus* monentibus. Videatur Marcus Zuerius, Boxhornius in *Emblematibus Politicis*) procedendum, ut adversarius noster ex improviso quasi opprimendus majorem metum concipiat.

§. 7. Ut verò proprius in arcem causæ penetremus, videbimus, quid sit arcanum Reipublicæ. Hoc dum facimus dupliciter illa considerari posse liquet vi vocis & vi rei; Illud ex contrario cognoscitur quod apertum est, & incurrit in sensus hominum eorumq; considerationi relinquatur & hinc, dum vulgus omnia ex sensibus metitur, juxta mentem vulgi justiori nititur titulo; Arcanum itaq; nihil aliud est, quam abditum, absconditum. Derivatur enim Autore Festo vel ab arce, quæ tutissimæ pars urbis est, vel à genere sacrificii, quod in arce fit ab auguribus adeò remotum à notitia vulgari, ut ne literis quidem mandetur; sed per memoriam successorum celebretur, vel ab arca, in qua, quæ clausa sunt, tuta manent, videatur *B. Heiderus cap. 6. System. Politic. & Arnoldus Clapmarius libr. 1. de Arcanis Rerumpubl. cap. 3.*

§. 8. Maxima est varietas arcanorum: Dantur arcana Dei, quæ mysteria alias appellant, de quibus *Tob. 12. 8* Regum & Principum arcana celare honestum est, Dei verò proferte præclarum est: sunt arcana Naturæ, quibus pandendis *Levinus Lemnius & Albertus* ab omnigena scientia magnus dictus laudes captare voluerunt; Dantur arcana Religionis l. defendendæ vel propagandæ; arcana Theologiæ; Jurisprudentiæ, Medicinæ, Philosophiæ, Contractuum Reifamiliaris, de quibus omnibus *Clapmarius libr. 1. cap. 2. & Cl. Wolfgangus Heiderus l. c.*

§. 9. Plurimis nominibus insigniri solent à Politicis. *Scipio Amiratus Disc. Politic. in libr. 12. Annal. Tacit.* arcana vocat *Prudentiam Regnativam*. Communiter *Ratio Status* dicuntur, item vocantur consilia occulta, abscondita, clandestina, abditæ, abstrusa, intima, operta, Sacramenta, Commenta, meditamenta, machinamenta, blandimenta; *Plato*, ex quo eorum anti-



quitatem cognosce, *machinas* vocat, quarum beneficio animi expugnantur, ut nolentes faciant, quod volentes intermitterent.

§. 10. Alii Politicorum *artes* appellant *Ciceronem* forsitan secuti, qui vocat Magistratus artifices. Imitatione horum Logici intorta Sophismata nectunt ad convincendos, refellendos imò & fallendos adversarios Jædolos bonos eudunt. Stratagemata Reipublicæ si quis nominare velit per nos licet. A Græcis vocantur κρύβια, κρυβία, κρυβία, διονευσία, διονευσία, ἐνδομύχα, σοφισματά, ἐνεήματα, χρώματα, διονευσία & specialiter Φανερύματα, ἀπειροισματά, ἀποσπεία, de quibus omnibus fusè agit *Arnoldus Clapmarus* libr. i. de Arcanis Rerumpubl. cap. 4.

§. 11. Arcana, si rem spectes, definiente *Marco Zuerio Boxhornio* in *Instit. Politic.* ex editione *Christiani Friderici Franckensteini* Profess. Lips. non nisi intima & recondita instituta & consilia sunt, quibus utilitatis publicæ causæ aut immotum semper servatur, quod semel institutum est adversus eos, qui id convellere & mutare Rempublicam contendunt, aut major species ac vis Imperantibus conciliatur adversus eos, qui contemnerent eorum auctoritatem, aut finguntur Personæ, quæ non sunt, aut res, quæ non futura, aut esse quod non est, aut futurum non est, ut id vel is sit aut fiat, quod nec esse aut fieri debet adversus eos, qui aliam detrectarent obsequium.

§. 12. Datam definitionem fusè explicare animus est, hoc tandem observato, arcanorum rationem paucis constare oportet, similiter ut de stratagematibus: quoniam divulgata subditis suspicionem excitant, quasi fide non agatur cum ipsis, nunquam enim vulgus propter ambitionem suspitione caret, & si minimum observaverit magis Magistratui repugnabit, ut id, quod intendit, incassum abeat. Necessum itaq; est, ut rationem status illos tantum penetrare patiaris intimius, qui vel Legatos fide superant & taciturnitate calliditate juncta Papyrium prætextatum adæquant. Malè g. de stratagematibus suis perficiendis sibi *Semiramis* prospexit, tum præter jus & æquum ea credidisse pluribus dicatur, ex quibus fucus hic *India Regi* innotuit, quocirca cautius mereaturus sibi cavet eodemq;



demq; modo *Fidenates Marcello* dolum militarem paraturi  
malè audiunt vid. *Livius lib. 4. Nicolaus Machiavellus libr. 3.*  
*cap. 14.*

§. 13. Prærequisita quædam in arcanis observanda erunt eaq;  
vel *respectu Parium* vel *respectu Inferiorum*. Respectu Parium  
ante omnia concordiam & veritatem Princeps amet, *circa Illam*  
prospiciat sibi, ne quenquam sine causa lædat, aut, quod ejus  
est, violento aut insidioso modo rapiat: *In hæc elaboret*, ut verba  
ipsius cum animo concordent, conformitasq; cum re ipsa in  
ore & animo inveniatur, eaq; tenacissimè serventur, de quibus  
ipsi cum sui similibus convenit.

§. 14. Concordiæ limites transiliunt omnes illi, qui ex quâ-  
vis occasione quærere triumphum volunt, qui tamen interdum  
in luctum mutatur: Non enim de quavis re lites movendæ,  
ne discordes magis quam concordēs exteris simus. Phocenses  
suo id exemplo comprobant, apud quos de puellâ orbâ lis &  
contentio inter Mnaseam Mneseonis Patrē & Eutycratem Ono-  
marchi parentem orta est, quæ initium dedit bello sacro, quo  
absumptum est, quicquid virium Græcis erat reliquum. *Dio-*  
*dorus Siculus lib. 16. Pausanias lib. 10. Justinus lib. 8. hist. Thucyd.*  
*lib. 1. Melchior Junius in Polit. pag. 49.*

§. 15. Concordiam esse lætandam non solum inter suos, sed  
quoq; inter exteros, quoniam concors gubernatio *concordia*  
*est æquitas, non facile corrumpi potest ex seipsa testante Aristo-*  
*tele lib. 5. Polit. c. 6.* ad oculum demonstrantur i. Tartarorum  
Rex *Changius Cham*, qui duodecim sagittas uno fâscæ compre-  
hensas duodecim filiis frangendas dedit ut *Haithonus in lib. de*  
*Tartaris* refert. Prolixè de hæc re declamationes suas institue-  
runt *Cicero à Dione Cassio lib. 44.* relatus, *Cyrus ad filios apud*  
*Xenophontem lib. 8. Pæd. Cyri, Philippus Maced. ad Perseum ac*  
*Demetrium filios Livius lib. 10. Micipsa ad Jugurtham Salustius*  
*in bello Jugurthino. Bredislaus Bohemiæ Rex moriturus ad pro-*  
*ceres Dubravius lib. 7.*

§. 16. Concordia itaq; quam necessaria sit respectu Parium  
quilibet videt. Ad veritatem aciem mentis nostræ convertimus,  
quæ vult, ut verba nostrâ cum intimis animi sensibus conve-  
niant



veniant, eaq; quorum bona fide facta est promissio incorrupta  
serventur: Hæc virtus licet toto mundo exularet apud Princi-  
pes tamen præ cæteris locum haberet, Summus Princeps ali-  
quando ipse factus est. Turpius est enim Principi, quam pri-  
vato mendacium dicere vel mentiri *Arrianus lib. 1. Et Aristot.*  
*lib. 4. Eth. ad Nicomach.* dixit. Magnanimus (principem in-  
telligens, est enim virtus principe digna) liberior in sermone  
veriorq; sit. Præ cæteris huic virtuti litasse videtur Mauritius  
Electo, qui Germanici candoris memor fidem pro Landgravii  
soceri sui incolumitate interpositam & unius tantum literæ  
mutatione à Duce de Albâ cæterisq; Cæsarianis ministris facta,  
sumptis armis gloriosissimè liberavit *Lautenbachius in Principe*  
*Christiano.*

§. 17. Non autem veritatem ita secleris ut vel omnem veri-  
tatem fatearis vel dissimulationem abjicias, quam unice Ludo-  
vicus Galliaæ Rex Carolo VIII. Filio suo in lingvâ latina ad-  
discendam jubebat hoc dicto: Qui nescit dissimulare, nescit  
regnare *Philippus Camerarius part. 1. Medit. histor. cap. 66.* Ve-  
ritatem igitur celare licet, dum summæ prudentiæ sit nonnulla  
obticere, nec rimæ instar omnibus patere: Et quidni liceret  
absq; mendacii crimine veritatem disparatam dicere, unam  
proferendo, alteram reticendo, exemplo *Samuelis lib. 1. Sam.*  
*cap. 15. v. 6. Jacobi Genes. 27. v. 24.* Axioma & nobis sit illud  
Christianorum Philos. *Verum ubiq; non est proferendum nisi glo-*  
*ria Dei salus proximi & conscientia nostra periclitentur:* An autem  
Excellentes illi Epaminondas & Atticus laudandi sint, quod  
tenacissimi fuerint veritatis non disquirimus vid. *Corn. Nepos*  
*in eorum vita. Conferatur hac de materia B. Horneius lib. 3. Phil.*  
*Moral. cap. XI. p. 423. Dn. D. Danhaw. auctar. Quest. Moral. cap. 6.*  
*q. 2. Dn. D. Wendelerus in Philos. practica cap. 10. q. 1. Spenglerus in*  
*Exerc. Eth. X.* Simulatio itaq; necessaria est in arcanis Domi-  
nationis, in arcanis Imperii & arcanis Consiliorum de quibus  
omnibus suo tempore, si Deus dederit, dicemus.

§. 18. Constantia Respectu Inferiorum deniq; posita con-  
sideranda erit, quæ potissimum ad æternandam Rempublicam  
ejusq; formam spectat, Vilescit enim id quod vacillat, nec  
conva-



convalescit: Planta, quæ sæpius transfertur, circa quam rem non incommodè dixisse introducit Alcibiades apud Thucydidem lib. 6. τῶν ἀνθρώπων ἀσφαλέστατα τέταρτος οἰκῆν οἱ ἀνθρώποις παρέσθαι ἢ θεοὶ καὶ νόμοις, ἢν καὶ χείρω ἢ ἡκιστα διαφύεως πολιτεύσθαι: Eos hominum tutissime agere, qui presentibus moribus legibusq; etiam si deteriores sint, nihil variantes Remp. administrant. Et Augustus Cæsar apud Dionem Cassium lib. 11. Quæ in suo statu eademq; manent, etsi deteriora sint, tamen utiliora sunt Reip. his, quæ per innovationem vel meliora inducuntur.

§. 19. Requiritur si in arcanis, ne utilitas publica conservetur ejusq; causa arcana sint instituta: Ex quibus elucescit ab esse ea certo respectu à Tyrannide, quæ definiente Aristotele lib. 4. Politic. cap. 10. Μοναρχία ἢ τις ἀνυπέροχον δέχεται τῶν ὁμοίων καὶ βαλόντων πάντων πρὸς τὸ σφέτερον αὐτῆς συμφέρον, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ τῶν δεχομένων, Imperium summum unius in pares & meliores ad utilitatem privatam non publicam, Finis igitur docente Clarissimo Arniseo cap. 3. Sect. 6. libr. 2. Relect. Politic. in definitione Tyranni principium & caput est ad quod cætera revocantur: scilicet privatus quæstus & detrimentum publicum, ut Averroës quoq; tract. 3. Polit. exactè ostendit.

§. 20. Quamvis libenter concedamus in Tyrannide certas dari vias respectu Tyranni ad eas stabiliendas, quarum una dicitur esse violenta scilicet spectatissimos viros è medio tollere, divitiis potentiorum inhiare, exactiones severas injungere, sodalitates prohibere; Academias & scholas evertere conventus & familiares civium conversationes interdicerè, litis semina spargere, sparsa alere, susurriones & exploratores fovere, ad egestatem & ad incitas populum redigere, bella injusta & supervacanea gerere, amicis diffidere, adulatoribus & improbis locum dare & indulgere, deniq; civibus aditum ad se præcludere, præclusum peregrinis aperire, vid. Berneggerus q. 191.

§. 21. Hanc viam exercitam videmus à Busyrìde, qui præter varia scelera etiam hospites immolare solitus est Diod. Siculus lib. 2. Biblioth. hist. à Cleope, qui clausis templis sacrificia  
pro-



prohibuit Herodot. lib. 2. Cambyse, qui Optimates Persiæ levi vel planè nulla de causa in caput usq; defodit Sabell. lib. 8. cap. 3. Alexandro Pheræo, qui & ipse alios vivos defodere, alios pro ludo pellibus aprorum & ursarum tectos canibus venaticis immisos discerpere & jaculis conficere est solitus Plutarch. in Pelop. Phalaride Agrigentino tormento ærei tauri insigni Diod. lib. 19. Tarquinio superbo, qui socerum sustulit, ut, quos enecaret haberet reos sibi finxit, difficilemq; aditum ad se fieri passus est. Paulus Orosius lib. 2. cap. 4. Plinius de viris illustribus cap. 4. Valerius Maximus lib. 7. cap. 3.

§. 22. Altera via ad stabilendam Tyrannidem est mollior & remissior, quâ ad æternandum regnum bonitatemq; ejus promovendam, quantum possibile est, simulate acceditur: Sicut enim Clarissimus Politicorum Arniseus lib. 2. Relect. cap. 3. Sect. 7. ex Aristotele inquit: Regna intereunt, dum ad Tyrannidem nimium flectuntur; ita Tyrannidis incolumitas est efficere eam Regno similiorem, quod pulchrè Philosophus lib. 3. Politic. cap. 11. describit: τὰ δὲ ἀδύα τὰ μὲν ποιεῖν τὰ δὲ δοκεῖν, ἕτοιμα κενὸν δὲ τὸ βασιλικὸν καλῶς. Cetera pariter facere, partim quam optime simulare, ut regia gubernatio videatur.

§. 23. Egregium hujus rei exemplum narrat Plutarchus in Solone de Pisistrato, cujus quoq; Aristoteles l. c. meminit, quod in colloquio fuerit blandus, juvenum pauperum studiosus, circa inimicitias moderatus, in multis insimulans virtutis, submissè se gerens, ita ut quoq; Areopagitarum judicio se submisserit. Vid. Plutarchus de sera Numinis vindicta. Herodot. lib. 5. Pausanius in Corinthiacis Athenæus lib. 12. Seneca lib. 3. de ira cap. 11. vix itaq; Pisistratum Tyrannum cognoscere potuisses, nisi eventus te in meliorem rerum cognitionem duxisset, effectusq; causam prodidisset: Si mavis has vias stabilendæ Tyrannidis esse arcana, appellationem istam non infringemus.

§. 24. Alterum arcanorum requisitum est, ut illorum beneficio semper immotum servetur, quod semel institutum est: Ex quo melius patefecit id quod §. proximè positus dixit, arcana scilicet longius ab esse à Tyrannide, (subintellige de arcanis in conceptu præciso & ut sic, de quibus impræsentiarum disquiritur),  
Cum



Cum enim arcana Tyrannica, si titulum forte fortuna ipsis applicaveris, undiq; ad violentiam tendunt, nec ipsa perpetua erunt, nec Respublica in qua sunt. Nullum enim violentum, juxta Philosophorum receptum canonem, est diuturnum; Regnum Tyrannicum & consilia in eo sunt violenta. E. neutrum diuturnum erit. Huc spectat quod *Alianus lib. 6. variarum historiarum cap. 10.* scribit, praecare a Deo comparatum esse, ut nulla Tyrannis ultra Nepotes progrediatur, sed pleriq; instar pinus conerantur. Tres illic loci affert tantum ex omni Graecorum antiquitate in Nepotes derivatas, *Gelonis in Sicilia, Leucanorum in Bosphoro, Cypselidarum Corinthi*, videatur quoq; hac in parte *Aristotel. lib. 5. Polit. c. 12.* quatuor Tyrannides solito diuturniores adducens. *Prima est Orthagorae ejusq; filiorum. Secunda est Cypselidarum, quae annis tribus & septuaginta & mensibus sex duravit. Tertia est Pisistratidarum Athenis. Quarta est Hieronis & Gelonis Syracusanorum*, de quibus omnibus loquuntur *Diodorus Siculus lib. 11. Thucyd. libr. 6. Pausanias lib. 1. Strab. 8. Georg. Alianus lib. 6. variarum historiarum cap. 13.* Causae hujus diuturnitatis a *Clariss. Arniseo l. c.* duae memorantur. 1. Quod ad benevolentiam regiam Tyranni hi ferme sese inclinarent, partim quod virtute militari homines in sui admirationem raperent, eorumq; animos quadantenus captivarent, quibus tertia jungi potest ex *Aristotele*, quod aliquando lenitatem simulaverint. *Arist. lib. 5. Pol. cap. 11. & 12.*

§. 25. Alterum hoc arcanorum requisitum unum ex difficillimis esse videtur, quoniam vulgus, id quod semel institutum est interdum immotum servari posse negat, dum nova libentius audiuntur, videntur, & ut spes est, delectant, populari igitur cuilibet auræ locus conceditur. Quâ apparentis bonitatis specie inescatur & incantatur, ut suâ sponte novæ Republicæ formæ inhiet, an in meliorem, an in deteriolem partem inclinet illud, quod intendit, parum cogitans. Etenim, quis, ut cum *Seneca Epist. 29. ad Lucil.* loquar, populo placere potest, cui placet virtus. Malis artibus popularis favor quaeritur: similem te illis facias, oportet. Non probabunt, nisi agnoverint.

B

§ 36. Hinc



§. 26. Hinc quoniam vulgus omni Sapia & virtute caret, sapientibus & virtuosis, quos Magistratus omnes oportet esse, contrariatur, gigniturq; in animis plurimorum ambitio & avaritia, quæ omnibus seculis orbem inquietarunt. Hæc Democratiam Romanam sustulit auspiciis Crassi, Cætaris & Pompeji: Hæc Græcorum arma in orientem immiserunt vastissimis regnis cæde & ruina illatis, desolatis: Hæc Monarchiam Græcam Romanis post obitum Alexandri M. contendentibus Optimatibus ejus in prædam distribuere, qui deinde ex ambitione & avaritia exteris regnis periculossima bella fecerunt.

§. 27. Non solum his, sed multo pluribus Vulgi vitiis opponenda sunt arcana ut 1. *Ambitioni.* 2. *Mobilitati.* 3. *Invidie.* 4. *Odi ignobilis vulgi in superiorem.* De Ambitione in superioribus dictum: mobilitatem vulgi non melius declarabimus, quam in exempla ex historicis adducamus, inter quæ notabile Scipionis, cui Imperium in Hispania delatum fuit à populo, qui tamen uno die in causâ Scipionis ter sententiam suam mutavit Liv. lib. 26. Xiphilinus in Vitell. recenset, persuasum fuisse vulgo in exercitu Vitellii, ut ad partes Vespasiani transiret, quo facto populus, qui nunc Vespasiano sentiebat, in caltra Vitellii iterum revertitur, vid. *Livius lib. 6. hist. & lib. 29. circa finem; Plutarchus in Catone Majore, Xenophon. lib. 1. Græc.*

§. 28. Invidia & odium populi in Magistratus sæpissime accidunt: pronum est ad suspiciones vulgus & ægris oculis alienam felicitatem intuetur, Tacitus 2. histor. Illud odium probabile est ex diversis studiis, quæ Magistratus & subditi excolunt; Ille magna excelsaq; meditatur, deq; futuris & præsentibus sollicitè cogitat, hi parvis & humilibus operantur, præsentiaq; tantum aspicientes, futura aliis disquirenda relinquunt.

§. 29. Tiberium his vulgi machinis opponendum esse apparet quoad mores & linguam, non quoad mentem, qui plerumque aliud sentiebat, aliud loquebatur, negans quæ desideraret,



ret, annuens iis, quæ odio habebat; iratum se, cum minime succenseret, æquo animo esse, cum maxime indignabatur, simulabat; inimicissimos vultu quam maxime benévolo, amicissimos summè ab alienato intuebatur: Deniq; Principis animum nemini cognitum esse debere censebat referente *Dione Cassio libr. 57.*

§. 30. Quamvis Tiberium in hoc, quoniam non semper bonum Principem produnt, non probemus, hoc tamen addimus, ingruente populi ambientis & invidentis furore, remedia quærenda sunt, quæ vulgi animum dolo bono captivent, simulatione mutent, pollicitationibusq; lætent, quarum præcipua est ficta libertatis pollicitatio, ut ex servitute, quam vel serviunt vel servire videntur, in libertatem restitui dicantur, quæ sæpenumero secundum *B. Heiderum cap. 6. System. Politici pag. 869.* ita delinit & inescatur populum, ut non alia tantum omnia æquo ferat & faciat animo, sed ipsius servitutis quoq; compedes pedetentim sibi injici patiatur.

§. 31. *Heiderus* l. c. exemplum refert de Milesiis, in quibus malè Optimatibus, qui Lysandri amici erant, conveniebat; Eo venit compacto Lysander, in eos, qui res moliebantur novas, acerbissimè iratus, populo suam operam in tuenda libertate deferebat. Is cum fidens Lysandro, & meliora sperans paratus erat; Optimates dato signo, rem otiosè spectante Lysandro, surgunt populumq; invadunt, opprimunt & Rempubl. in se derivant: *Polyænus lib. 1.* His adjungi posset honoris exhibitio, & spes majoris honoris in posterum deferendi, quod similiter est efficax remedium ad captivandos animos plebis, quo modo reliquos Tyrannos superat *Pisistratus*, quippe, cum plebs inhonorata est, omniq; spe rebus sic stantibus ad honores perveniendi caret, ei, quo caret, inhiat; & cum animum cupiditate expleri posse sperat, omne id, quod aliàs nunquam faceret, aggreditur.



§. 32. Sciendum verò est, cum nos dicimus, id quod semel institutum est, immotum semper servandum esse, nos non loqui hoc eloquium, quod consilia statui Reipublicæ aliquando conducibilia sæpè reiteranda & semper retinenda sint; Sed cum Seneca sapiens eat non uno gradu, sed una viâ; nec se in aliquibus mutet, sed potius aptet; & cum Platone lib. 10. de Republ. oporteat, tanquam in talorum jactu, ad id, quod reciderit, res suas aptare, quocunq; modo ratio id optimum esse dixerit.

§. 33. Requiritur III. ut beneficio arcanorum autoritas imperantibus concilietur, quæ desinente Lipsio lib. 4. Polit. cap. 9. subditis sive & exteris impressa reverentia de Rege ejusq; statu vel ut lib. 2. cap. 16. inquit: Est reverenda amplitudo ob meritum virtutis aut rerum affinium. Hæc autoritas vel inest à naturâ vel ab arte; à Natura, ut si quis corporis staturâ ingens, verbis magnificus, gravis, prudentior; vel ab Arte, ut recessus ab aspectu continuo, quoniam continuus aspectus minus verendos magnos homines ipsa satietate facit; Virtutes intellectuales & Morales, quia hæ conspicuum & gravem reddunt inferiorem, multo magis igitur superiorem.

§. 34. Ingenita quidem gentibus in Reges veneratio est; sed apud alias magis, apud alias min<sup>o</sup> exercetur. Abyssinis tanta inest, ut suum Aceque vel Neguz, tanquam divinum numen colant & satis se fore beatos judicent, si modo pedem Regis uno oculo intuendi copiam nanciscuntur, flagellis usq; ad deliquium animi cæsi grates Regi habent, quasi magno beneficio affecti & lubentes, si tres Patrifamilias adsint Filii, unum ex his satellitio Regis, quod militiam S. Antony vocant, consecrant; Videatur Franciscus Alvarez in itinerario lingu. italica excuso: Abraham Ortelius in Cleatro orbis terrarum.

§. 35. Chinenses suum Regem eodem modo adorant, venerantur & colunt, ita quoq; ut neminem bonorum aliquorum Dominum constituent præter solum Regem, qui ipsis Bontai vocatur. Nomina Ducum, Principum, Comitum



mitum & Baronum ignorare volunt; ne autoritas Regia labefactetur, ut refert historia Regni Chinensis à Marco Henningo edita. Nec aliter *Javani Japonii, Madagascariis & y,* qui Paradysum Indicum *Zeilam* incolunt, si *relationi historicae Belgarum anni 1594. de Ind: a cap. 26.* credimus.

§. 36. Penes has gentes supervacuum est excogitare vel le modum Regis verendi & venerandi; At penes illos populos, apud quos periclitatur Majestas Imperantis ut Jacoborum Regum Britanniae, ut plurimum infeliciores reliquis. His inquam malis succurrendum est, artesq; ne cunctae autoritatis vel reparandae vel conservandae ergò, quam *Lipsius libr. 4. cap. 9. Civilis doctrina* triplici via parari posse existimat 1. *Formam Imperij.* 2. *Potentiam Imperij.* 3. *Moribus imperantis:* quoad imperij formam tria requirit, ut severa sit, ut constans, ut astricta.

§. 37. Severam oportet esse, quia assidua lenitas contemptum inducit, siquidem *vulgus dicente Arist. libr. 1. Ethic. Nicom. non ita natum est, ut pudori obsequatur; sed ut metui, nec ut absteineat à pravis, ob turpidinem, sed ob supplicia & poenas.* Constantem decet esse uno scilicet & veteri tenore fluentem, ut quoq; in minimis rebus omnia antiquae consuetudinis momenta conserventur: spernendi igitur novatores, qui ut aliquid sui videantur afferre, etiam recta commutant. Deniq; astrictam oportet esse, ut non solum à Rege praecipua vis & honos; sed & apud eum sit; A Rege, ut maxima rerum vel agat ipse vel firmet; nec vim principatus resolvat cuncta ad Senatum revocando. Apud Regem magnus semper honos maneat, quia periculosum est privati hominis nomen supra vel juxta principis nomen attolli *Tacit. Agric.*

§. 38. Altera via, quae Autoritas Principi reparatur vel conservatur est potentia, quae ad sua conservanda & aliena obtinenda idonearum rerum est facultas: Quinq; ejus vulgariter numerantur instrumenta: Opes, arma, consilia,



foedera, fortuna: quamvis hæc fragilis sit, nec à natura vel ab arte inest, quin potius fortuito accedit, ut quos diutissimè secuta est, velut fatigata destituit. Ultima via ad auctoritatem in moribus ponitur, qui vel in animo; ut virtutes, vel in corpore, ut certi habitus & gestus, inter virtutes duas primo loco collocant Politici, ut pietatem & providentiam (vocabulo sumpto in re subtrata.)

§. 39. Ultimo deniq; in Republica fingenda sunt persone aut res, quæ non sunt, nec esse possunt, adversus eos, qui alias detrectarent superiorum obsequium. In stratagematibus militaribus fictiones sæpius superiorum & bonitatis alicujus gratiâ sæpius approbantur, nec minori laude veniunt in civilibus. Hermocrates Syracusanus superatis acie Carthaginensibus, veritus, ne captivi, quorum ingentem manum in potestatem redegerat, parùm diligenter custodirentur, quia eventus dimicationis in epulas & securitatem compellere victores poterat; finxit proxima nocte equitatum hostilem venturum, qua expectatione affectus est, ut solito attentius vigiliæ agerentur. Idem rebus prosperè gestis & ob id resolutis suis in nimiam securitatem, somnoq; & mero pressis in castra transfugam misit, qui præmonens se fugâ elapsum suos alacriores reddidit. *Frontinus libr. 2. Stratag. cap. 9. Confer Plutarch. in Pericle, Ammian. Marcell. lib. 31. & Julij Frontini lib. 1. cap. 9.* Haud aliter in arcanorum usu fingere licet ea, quæ non sunt, & quæ vel nunquam esse possent, adversus eos, qui nobis videntur refragari.

§. 40. Hoc est quod in initio retulimus ex Platone Remp. esse instar scenæ seu Comediæ in qua præsentantur res, quæ nunquam fuere, & Personæ, quæ nunquam exstiterunt; haud aliter in Republ. quoad res & personas, alia in speculo & scena quasi ostenduntur, alia revera fiunt. Et ratio in promptu est: nam dum omnes homines, si esse naturæ & conditionem nascendi spectes, pares sunt; si esse moris consideres dispares sunt; optima quæque ingenia



genia modos excogitarunt; quibus hunc præ illo commen-  
dabiliorem redderent, hinc nata sunt, βασιλικὰ, κειμήλια  
ὄπισθια καὶ σύμβολα regalia illa, quorum Petrus de Andlo  
citante Nicolao Henelio ab Hennenfeld in otio Vratisla-  
viensi cap. XI. quatuor esse in Rom. Imp. dicit. Diadema,  
Gladium, Sceptrum; Pomum aureum; hoc significat or-  
bem habitabilem & nationes in eo subactas imperioq; pa-  
rentes: Non quidem, quod Cæsares omnes universi po-  
pulos orbis regant; sed tantum orbis seu Imperii Romani  
populos, qui quoniam præcipui sunt, omnes quasi dicun-  
tur esse. Sic Antoninus Imperator, ut ex æneis nummis  
accepimus, SE RECTOREM MUNDI vocat. Justi-  
nianus se consulere ait generi humano; Et in præmio  
Institutionum scripsit: omnes populos legibus tam à se  
promulgatis, quam compositis regi.

§. 41. Huc faciunt ritus veterum quoq; de elevatio-  
ne in sublime, de quâ *Ammianus Marcellinus libr. 20. de Juliano*  
ita dixit: Impositus (Julianus) scuto pedestri, & subla-  
tius eminent, Augustus populo silente renunciatus jubeba-  
tur diadema proferre. *Suetonius in vita Othonis cap. 6. M.*  
*Salvium Othonem Succollatum omiffâ morâ scribit & à præ-*  
*sente comitatu Imperatorem consalutatum, inter faustas*  
*acclamations stricatosq; gladios ad principia devenisse;*  
Hoc quoq; in Francorum Regibus observatum *Joh. Isaacus*  
*Pontanus libr. 6. orig.* Francic prodidit his; Ut rex omnium  
votis & suffragiis electus omnium quoq; oculis exponere-  
tur, sublevatum ergo manibusq; sustentatum circum po-  
puli comitia, vel si in castris regerent, in conspectum to-  
tius exercitus, plaudentibus atq; acclamantibus cunctis  
maxima solemnitate ac regnantis in morem paludatum  
producebant. Vid. *Ado Viennensis in Breviario Chronic.*  
*etat. 6. Gregorius Turonensis libr. 2. historiarum cap. 40. Abbas*  
*Ûrsberg. Olavus Magnus, Martinus Cromerus libr. 21. histor.*  
*Polon. Caspar Barthius libr. 51. Advers. cap. 4.*

§. 42. Ad-



§. 42. Adversus eos ergò, qui alias detrectarent obsequium, hæ species in primordiis Regiminis excogitatæ sunt; & præter has aliæ, quæ vel nunquam extiterunt vel esse possunt in progressu sub incudem mittantur v. g. si Princeps animos subditorum vel in se alteratos vel inter se exacerbatos persenserit, facilè hoc ipso subditorum animos perterrefaciet, ut in se descendant, dissidia tollant, animosq; mutant instar Atheniensium de quibus *Plato lib. 3. de LL.* scribit, quod metus Persarum eos ad concordiam redegerit & ad virtutem extimulaverit, qui alioquin securitati & otio indulgentes corrumperentur; Novissimè quoq; in hoc & præcedenti seculis Belgas discordes concordēs reddidit inquisitio Tyrannica Hispanorum in puncto Religionis, de quibus *Marcus Zuernus Boxhornius in Histor. universali prolixè scribit.*

Δ. T. Θ.







**E**N pulcrè cuius; laudo molimina: dum, quæ  
*res arcana tenet publica, doctus adis.*  
Sic bene: fac, pergant modò cœpta, per ardua,  
scandes  
sidera: sic lauru cinget Apollo comas.

*Domestico & Convictori suo  
charissimo scr. m. l. g.*

**Andreas Sennertus,**

P. P.

---

**P**ublica res quævis *arcanis* prædita multis  
Quæ probat & laudat doctus ubiq; chorus.  
Hinc Tibi cum, GADEBLISCH, fat sint hæc  
nota cathedram.  
Publicitùs scandis, mystica & ista doces.  
Gratulor ergò Tibi, laudo & conamen honestum,  
Perge velut pergis, nomina clara feres.

*Hac Politissimo & Eruditissimo Dno Respondenti,  
Cognato, atq; Conterraneo suo suavissimo  
benevolentia ergò declaranda l. m.*

*app.*

**PRÆSES.**

10(2

Was




**W**as in der ganken Welt / in diesem runden Rau  
geschihet / wird bekandt.  
Wer offenbahrt Euch denn und sagt es so genau?  
Wer istis der Euch genandt  
Was hohe Heimlichkeit der Regimenten sey?  
Die Sonne bringts ans Licht /  
Was hie und da und dort gezwungen oder frey  
Im Regiment geschicht.  
In dem Ihr nun betracht die hohe Heimlichkeit  
Die denen nur bekandt  
Die voller Weißheit seyn / So wünsch ich zum Geleit  
Des Allerhöchsten Hand!

Dieses setze in Eyl / von der Reise zurück  
kommend / seinen beyderseits viele  
werthen Freunden

M. Conrad Tiburtius Kango/  
von Golberg aus Pommern/  
der H. Schrift Best.

1605 (o) 30











WITTENBERG, Diss., 1660

ULB Halle 3  
003 484 572




50-

1077











B.I.G.

Farbkarte #13

OLITICA

erum.

m in

DIO

PARPARDI,

Pom.

m Academia  
quisitioni

GADEBUSCH,

neranus.

R. M DC LX.

MINORI,  
ianis.



Æ,

L Wendt.

25

14

1660

12

